neficio Dei detur,nec in manibus hominum conſiſtat.Tale eſt beneficium roris,tale eſt fraternæ concordiæ. A

Deinde conſideremus,quòd *roris* meminit, *qui deſcendat in montes.* Clanculùm innuit,hortari ſe vertices populi ad concordiam.

Tertiò & illud expendendum eſt,quòd non quorumuis,ſed eorum montium meminit, qui ad Zijon pertinent. Admonemur,fratrum concordiam donum Dei eſſe, quod potiſsimùm Eccleſiæ Zijonis:id eſt,populi Dei competat.

Quartò. *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem vitæ*,inquit,*vſque in ſeculum.* Admonemur hîc, vtilitatem hanc concordiæ fraternæ primùm eſſe ex benedictione Dei Deinde, eſſe tàm neceſſariam,quàm eſt ea, vnde vitæ alimonia prouenit. Etenim ſine illa conuictus humanus, & quæ illi ſunt neceſsaria,ſubſiſtere non poſſunt:vt taceam,quòd in ea ſita eſt etiam cœleſtis, ac verè felicis vitæ benedictio.Etenim ſi in morte manet,ſecundum Ioannis dictum,qui fratrem odit:vtiq; vitæ particeps eſt,qui fratrem diligit.

PSALMVS CXXXIIII.

CANTICVM GRADVVM.

Pertinebat hic Pſalmus ad Leuitas,quibus ex officio incumbebat, vt noctu excubias agerent in domo Dei qua de re videre eſt Num. 18. Illos hortatur Pſaltes ad laudandum nomen Domini Crediderim autem id illis fuiſſe moris, vt ſingulis noctibus in domo Dei aliquis ex illis hunc Pſalmum in gradu conſtitutus ad hoc caneret, vt reliquorum mentes ad benedicendum Dominum excitarentur.

VERS.I. *ECCE benedicite Domino omnes ſerui Domini,qui noctu ſtatis in domo Domini.*

2. *Leuate manus veſtras ad ſanctuarium,& benedicite Domino.*

3. *Benedicat te Dominus à Zijon,qui fecit cœlum & terram.*

LECTIO *Verſ.1.* *Qui noctu ſtatis in domo Domini.*] Ebr העמדים בבית יהוה בלילות: id eſt, *Qui ſtatis in domo Domini in noctibus.* Græc. & vulg. Lat. & Arabs,ſic legunt: *Qui ſtatis in domo Domini,in atrijs domus Dei noſtri. In noctibus extollite manus veſtras,*&c.

Verſ. 2. *Leuate manus veſtras ad ſanctuarium.*] Ebraicè ſic: שאו ידיכם קדש: id eſt, *Leuate manus veſtras ſanctum* Poſſet reddi: *Leuate manus veſtras ſanctè.* Alij reddunt: *Ad ſanctum* alij, *Ad ſanctitatem.*

EXPLANATIO. *Verſ.1.& 2.* *Ecce benedicite Domino.*] Primi duo verſus eius ſunt, qui cæteros ad laudem Dei euocabat. *Ecce,* inquit,*tempeſtiuum eſt,vt Domino benedicatis omnes ſerui Domini,qui in domo hac Dei noctu ſtatis:* hoc eſt,qui ad hoc deputati eſtis,vt hîc excubias agatis. *Leuate manus veſtras ad ſanctuarium,*&c. Sic erat moris omnibus illis,qui vel adorabant,vel laudabant Dominum in loco ſancto, vt manus leuarent, & ad ſanctum ſanctorum,ad arcam videlicet Teſtamenti,ac ſedem nominis Dei,extenderent. B

Verſ.3. *Benedicat te Dominus à Zijon.*] Sic cæteros ad vocem eius,qui ad laudem Dei euocabat,reſpondiſſe videtur,vt dicerent: *Benedicat te Dominus à Zijon,qui fecit cœlum & terram.* Atque his verbis & bene precabantur publico diuinę laudis miniſtro, & ſignificabant,haud ſe grauatim ad benedicendum Domino comparere. Communiter exponunt hunc verſum ſic, vt ſit numerus ſingularis poſitus pro plurali: *Benedicat te Dominus à Zijon*:id eſt,Benedicat vos, vel vnumquenque ex vobis, Dominus à Zijon. Si conſuetudo Leuitis in domo Domini excubantibus fuiſſet,vt ſingulatim omnes Domino benedicerent,vero ſimile videretur,eſſe ſingulos poſt benedictionem ac laudem Dei,hoc verſu in ſuam quemuis ſtationem dimiſſos. Sed nihil affirmo in hac re, de qua nihil certi ex ſacris literis habetur. Tantum quid mihi vero ſimile videatur,admoneo.

OBSER. *Verſ.1.& 2.* *Ecce benedicite Domino omnes ſerui Domini.*] Primùm obſerua,quòd Leuitæ in domo ſanctuarij noctu excubãtes,*ſerui Domini* vocantur. Erat totus ille cultus,in rebus externis,figuris & vmbris ſitus:& tamen etiam,qui vel minima miniſteria in illo obibant, ſerui Domini perinde atq; ipſi ſacerdotes, vocantur. Obſecro,ſi quis inter Chriſtianos æditúum,vel ianitorem,vel cuſtodem,in Eccleſia aliqua,vel oratorio,vocet ſeruũ Domini:annon videretur admodum inſolens? Quamobrem? Quia non eſt nobis ea religio ac reuerentia diuini cultus,quæ populum Deo conſecratum decebat. Deinde obſeruemus,quòd ſecundum legis diuinæ pręſcriptum nocturnæ in domo Dei excubię agebantur. Quoniam ſedem ſuam Dominus eo loco delegerat,voluit vt perinde atq; in regia quadam ante regis cubiculum,vigilum ac ſatellitum habentur excubiæ: ſic in domo ſua ante ſanctuarium ſuum,veluti in regia regis omnium,nocturnæ ſeruarentur cuſtodiæ. Non eget cuſtodia,qui cuſtos eſt omnium,cuius oculi non dormiunt vnquam. Sed ſic conducebat pijs animis ſumma cum reuerentia in loco nomini ipſius conſecrato,velut in ipſius conſpectu conuerſari.

Tertiò,ne quid leuitatis irreperet in excubias illas nocturnas,obſeruandum eſt,quòd ad benedicendum Domino cuncti euocabantur. Sic duo agebantur. Primùm,laudabatur diuina maieſtas, cuius laudem conuenit eſſe & diurnam & nocturnam. Deinde, conſeruabantur vigilum ac cuſtodum animi in religione & obſeruantia Dei,quo miniſterium ſuum cum timore Domini religiosè perficerent.

Quartò,in eo quòd dicit: *Leuate manus veſtras ad ſanctuariũ*:admonemur non ore tantùm,ſed & geſtibus,animum ſupplicem ac ſubmiſſum teſtantibus,offerendum eſſe diuinę laudis ſacrificium. Sic & Apoſtolus dicit: Volo viros orare in omni loco,leuantes ad Deum puras manus. Quòd autem

non ſim-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn358113571/1102 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG